



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XLIV. De non attrahendo sibi res exteriores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

rum. Ego sum, qui doceo terrena despiciere, præsentia fastidire, æterna quærere, æterna sapere: honores fugere, scandala sufferre, omnem spem in me ponere, extra me nil cupere, & super omnia me ardentè amare.

4 Nam quidam amando me intimè, didicit diuina, & loquebatur mirabilia. Plus profecit in relinquendo omnia, quàm in studendo subtilia. Sed aliis loquor communia, aliis specialia: aliquibus in signis & figuris dulciter appareo, quibusdam verò in multo lumine reuelo mysteria. Vna vox librorum, sed non omnes æquè informat: quia intus sum doctor veritas, scrutator cordis, cogitationum intellectus, actionum promotor, distribuens singulis, sicut dignum iudicauero.

## CAP. XLIIII.

*De non attrahendo sibi res exteriores.*

**F**ILI, in multis oportet te esse inscium, & æstimare te tamquam mortuum super terram, & cui totus Gal. 6.

I 4 mun-

mundus crucifixus sit. Multa etiam oportet surda aure pertransire, & quæ tuæ pacis sunt magis cogitare. Vtilius est oculos à rebus displicentibus auertere, & vnicuique suum sentire relinquere, quàm contentiosis sermonibus deseruire. Si benè steteris cum Deo, & eius iudicium adspexeris, faciliùs te victum portabis.

3 O Domine, quousque venimus? Ecce damnum defletur temporale, pro modico quæstu laboratur & curritur, & spirituale detrimentum in obliuionem transit, & vix serò reditur. Quod parum vel nihil prodest attenditur, & quod summè necessarium est, negligenter præteritur: quia totus homo ad externa defluit, & nisi citò resipiscat, libens in exterioribus iacet.

## CAP. XLV.

*Quòd omnibus non est credendum: & de facili lapsu verborum.*

*Pf. 59.* **D**A mihi auxilium Domine de tribulatione, quia vana salus hominis. Quàm sæpè ibi non inueni fidem,